

cupiente. Non puto etiam hoc Cnaeum nostrum commissurum, ut Domitium relinquat: etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus praemiserat; legionem Fausto conscriptam in Siciliam sibi placere a consule duci, scripserat ad consules. Sed turpe Domitium deserere erit implorantem ejus auxilium. Est quaedam spes, mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pyrenaeo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse cum cohortibus: summa autem, Afranium cum magnis copiis adventare. Id si est, in Italia fortasse manebitur. Ego autem, quum esset incertum iter Caesaris, quod vel ad Capuam vel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompejum misi et literas; ipse, ne quo inciderem, reverti Formias. Haec te scire volui scripsique sedatiore animo, quam proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum.

X. M. T. CICERO TITIO S. D.

«Consolatur diligenter amicum, obitum liberorum immoderatus ferentem.»

Etsi unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus, quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen, cum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus, statui nostrae necessitudinis esse meaeque in te benevolentiae, non tacere tanto in tuo moerore tam diu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quae levare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio pervulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque in animo habere debemus, homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus: neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possimus; eventisque